

Češka, Josef

Quales novae lectiones quaestionesque Ammianae in tomo editionis Francogallicae tertio patefiant

Sborník prací Filozofické fakulty brněnské univerzity. N, Řada klasická.
1997, vol. 46, iss. N2, pp. [53]-63

ISBN 80-210-1797-X

ISSN 1211-6335

Stable URL (handle): <https://hdl.handle.net/11222.digilib/114023>

Access Date: 23. 02. 2024

Version: 20220831

Terms of use: Digital Library of the Faculty of Arts, Masaryk University provides access to digitized documents strictly for personal use, unless otherwise specified.

JOSEF ČEŠKA

**QUALES NOVAE LECTIONES QUAESTIONESQUE
AMMIANEAE IN TOMO EDITIONIS FRANCOGALLICAE
TERTIO PATEFIANT**

Res gestae Ammiani Marcellini in editione Francogallica iam quinque e sex propositis tomos habent. Post tomum enim I (edd. Édouard Galletier ac Jacques Fontaine a. 1968), II (ed. Guy Sabbah a. 1970), IV (ed. Jacques Fontaine a. 1977), V (ed. Marie-Anne Marié a. 1984) tomus diu desideratus praesto tandem nobis est, scil. *Ammien Marcellin, Histoire. Tome III: Livres XX–XXII. Texte établi, traduit et annoté par Jacques Fontaine avec la collaboration de †E. Frézouls et J.-D. Berger. Paris, Les Belles Lettres 1996*. Haec in fronte voluminis leguntur, paginas LXVIII et 359 ostentantis, sed has re vera paene dimidio plus habentis, nam paginae 2–147 ad faciliorem textus Latini critice editi et translationis eius Francogallicae comparationem geminatae sunt.

Complura animadvertenda necnon sollerter politeque composita, quae J. Fontaine libris Ammiani Marcellini XX–XXII praefatus est (pp. VII–LXV), libenter perlegi et spes varietatem quaestionum solvendarum recognoscendi me non fefellit, nam omnes problematum, quae libris Ammianeis insunt, ad lectorum oculos introductionis, ut ita sermonem editoris imitatus dicam, partes sex – I. Lignes et rythmes de la composition: Un affrontement heureusement dénoué (pp. VIII–XVI), II. La thèse politique: Une promotion sans usurpation (pp. XVI–XXVI), III. Julien contre Constance: Un cousinage contrasté (pp. XXVI–XXXVI), IV. La diversité tempérée du discours historiographique (pp. XXXVI–XLV), V. Les fonctions des six digressions (pp. XLVI–LV), VI. Étrangetés et ambiguïtés de la digression sur l'Égypte (pp. LV–LXIV) – observantiam merentur. Sed maxime textus Latinus eiusque locorum dubiorum novae lectiones animum nostrum ad se attenderunt.

Editionem criticam librorum XX et XXI, translationem eorum ac notas 1–467 (pp. 149–256) J. Fontaine curavit, libri autem XXII curam adiutoribus suis demandans. Quam Edmond Frézouls et Jean-Denis Berger sic inter se dispertiverunt, ut ille, dum genius custos salutem eius tuebatur, pensum suum ad capita 1–10 et 12–13 pertinens absolvere potuerit, hic autem capitibus 11 et

14–16 incumbens munus suum confecerit. Ambo quoque librum XXII multis annotationibus illustraverunt (cf. notas 468–1065, pp. 256–348).

Textum perfectissime edendum Fontaine sibi adiutoribusque suis destinavit et ad hoc propositum assequendum viam arduam elegit, nam omnia, quae a textu codicis olim Fuldensis, nunc Vaticani Latini 1873, manu, ut dicitur, prima (Vm1) scripto differunt, aut litteris Italicis inclinatis distinguuntur aut uncis fractis includuntur.

Haec textus accuratissime editi species ad veritatem eiusdem iudicandam nos ipsa per se invitat. E.g. simulac in XXI 15,3 (p. 82) quicumque artis philologicae mediocriter gnarus Constantium legerit tertium nonarum (Octobrium), imperii (tricesimo octavo) uitaque anno quadragesimo (quarto) et mensibus paucis e uita abiisse, statim apparatus criticum inspiciet, ut unde verba suppleta sumpta sint, doceatur cogniturus: *octobrium* Vm2, Cl. Rol.; *nouemb*– See. Sey. de Vm1 non liquet; *tricesimo octavo* add. Val., om. V; *quarto* add. Val., om. V.

Typographicae autem varietates tam subtiles velut XX 4,8 (p. 10) adceleraret (Vm2, adcelaret Vm1) aut XX 4,20 (p. 13) gradu (Vm2, grado Vm1) modum excedere censeo, nam ea, quae corrector codicis Fuldensis (Vm2) saeculo IX verisimillime archetypum respiciens recte emendavit, coniecturae putari non possunt. Si autem posterius excogitatae emendationes textui insertae sic distinguuntur, haec utilissima admonitio uni cuique philologo textum critice aestimanti expedit.

Inter editiones antiquissimas Frobeniana, quam anno 1533 Sigismundus Gelenius Basileae imprimendam curaverat, singularem sane locum obtinuit. Gelenius (G) enim codice utebatur Hersfeldensi, de quo post pauca Marburgensia fragmenta eius arte palaeographica subtiliter examinata nunc nemo dubitat, quin saeculo IX librariis Fuldensibus archetypus praesto fuerit, ante annum 850 creatus (cf. in tomo primo editionis Francogallicae p. 42, sed in tomo tertio p. LXVII codicis Hersfeldensis ortus saeculis IX–X exoleto iam more ascribitur). Magis certe nobis prodesset, si Gelenius textum a Petro Castello Bononiae (B) anno 1517 valde deformatum et Basileae anno 1518 reimpressum ex fide tantum codicis vetusti castigavisset, sed problema, ut ita dicam, Gelenianum e difficultate lectiones authenticas a Gelenii coniecturis plus minusve verisimilibus discernendi pendet.

Lectionibus variis coniecturisque suis editores saeculo demum XVII annotationes adiungere assueverunt, sicut editio testatur Wagneriana, curarum Ammianearum per duo saecula adhibitarum summa. Textum autem sic anno 1808 editum Fontaine et laboris eius socii contempsisse videntur, ad editiones – saeculo quoque XIX parum respecto – recentiores, scil. Clarkianam, Rolfeanam Seyfarthianasque ambas (cf. p. LXVIII) animum attentum tenentes. Sed aliter faciendum non est, si quis ad diligentiae specimina, quibus C. U. Clark textum annis 1910–1915 critice editum ornavit quaeque W. Seyfarth anno 1978 auxit, nova addere vult.

Paene quadragies Fontaine et Frézouls et Berger corrigendas textus evidenter aut putative corrupti lectiones opinionibus suis accommodaverunt, saepe sine sensus vulgo probati mutatione. Ab his, quae minimi sunt momenti, incipientes testimonia iam loqui sinamus, in quibus nunc et posthac omnia, quae auctor antiquus scripsit aut scripsisse putatur, claritatis causa litteris inclinatis exprimentur: XX 2,4 (*tanta*) *tamen* (*tamen* V, Sey.; *tamen ea* Cor., Cl., Rol.; *tamen tanta* Hau.); XX 2,5 *relatis* (*iis*); XX 7,18 *obsidionalisque* (*obsidionalis quae* Vm1, *-les quae* Vm2; *obsidionalesque* Gro., Cl., Sey.); XX 11,21 *Roma*(*na ma*)*nu* (*romanu* Vm1, *romana* Vm2; *Romani* Wm2, B, A, G; (*manu*) *Romana* Cl., Sey.); XXI 13,8 *reuersus est* (*cito Hie*)*rapolim* (*est* lac. 8 litt. *capolim* lac. 4 litt. V; *Hierapolim* G, Cl., Sey., *Nicopolim* B, A; (*confestim Ni*)*copolim* (*urbem*) Pig.; (*Ninum Hie*)*rapolim* (*urbem*) vel (*Ninum nunc Hie*)*rapolim* (*confestim*) Boe.); XXII 8,4 *Abydum* (*aboedum* Vm1, *abidum* Vm2, *Abydon* G, Cl., Sey.); XXII 9,10 *idem* (*edem* Vm1, *eadem* Vm2, Cl., Sey.); XXII 13,1 *die undecimo* (*die undecimum* V; *diem undecimum* Kie., Cl., Sey.; *die XI* Wag.).

Praeter dubium exemplar ultimum, ubi aut *die undecimo* aut *die undecimum* legi potest, sex insuper Fontaine cum adiutoribus suis emendationes, quas novas putaverant, sibi vindicaverunt: XX 7,15 *ipsae quoque* (*ipse quoque* V; *ipsaeque* Lan., Cl., Sey.; *ipsae quoque* B, A, G, Wag.); XX 8,11 *adsuetos* (*idsuetos* V, *assuetos* E, B, A, G, Rol.; *adsuetos* Wag.; *suetos* Her., Cl., Sey.); XX 11,28 *caerulum* (*cerulum* V; *caeruleum* E, A; *caerulum* Cl., Sey.); XXI 15,2 *Mopsucrenas* (*mobscrenas* V; *Mossocrenam* E; *Myandam* B, G; *Mopsucrenem* A; *Mopsucrenas* Wag., *Mobsucrenas* Cl., Sey.); XXII 8,5 *ubi Hylam* ... (post *Hylan* lac. ind. N, Pit., Hadr. Val.; *ubi Hylam* ... Cl., Sey.); XXII 11,8 *diuaricatis* (*interfecit*) *pedibus*, ubi Berger Novákianae lectionis *diuaricatis pedibus* (*interfecit*) ordinem verborum sine cursus rhythmici respectu immutavit (cf. supra XX 2,4 et 11,21, ubi vero Fontaine haplographias suspicabatur).

Eleganter et sine ullo praecursore Fontaine apte dictum XXI 5,12 emendavit. Iulianus enim Nebridio non sibi, sed Constantio fideli „*ecquid*“, *ait*, „*praecipuum amicis seruabitur, si hi(c)* (*hi* Vm1, *hinc* Vm3, E, B, A, G; *tu* Wag., Her., Cl., Sey.) *manum tetigeris meam?*“ Cf. interpretationem (p. 55) „Eh bien! Quel privilège restera-t-il à mes amis, si tu me serrais la main en pareille circonstance?“

Mensem incertum, quo Constantius Augustus anno 361 mortuus est, iam supra perstrinximus, sed nunc ad eum iterum redire debemus, ut demonstramus, quanti lectio V a Fontaineo aestimetur. Diu enim locus dubius XXI 15,3 *abii e uita tertium nonarum Octobrium* (sic Vm2; cf. etiam Cl., Rol.) legebatur et hanc lectionem Seyfarthio, qui historiae fidem rei paleographicae anteposuerat, non assensus Fontaine quoque probavit, quamquam in nota 437 (p. 249) haec professus est: „On sait par ailleurs que le jour de sa mort fut le 3 novembre 361. Il faudrait donc lire *nonarum Nouembrium*: erreur d’Ammien ou du scribe (qui a omis aussi trois adjectifs ordinaires dans la datation de son règne et de son âge)?“

Discrepantia textus Latini et translationis Francogallicae in paragrapho XXII 8,10 apparet, nam in descriptione maris Pontici exadversum exemplar *(in) speciem Scythici arcus, neruo coagmentati, geographiae totius adsensione firmatur* (in add. G; *firmatur* V, *formatur* G) interpretatio „elle prend la forme d'un arc scythique tendu par une corde, selon l'avis commun de tous les géographes“ p. 106 legitur, verbosius in nota 657 (p. 278) explanata: „V porte *firmatur*, corrigé par Gelenius, suivi par Clark, en *formatur*. Seyfarth, après avoir adopté cette correction, est revenu dans l'édition Teubner à *firmatur*, beaucoup plus difficile à justifier“. Aenigma ergo se offert, fortuitone Frézouls verba *firmare* et *formare* in hac paragrapho idem valere speraverit.

Fontaine vice versa interdum quasi timuisse videtur, ne codici V nimis confidens aliquid dubium vel mendosum editioni suae insereret, sicut praeter exemplam iam commemorata etiam alia testantur: XX 8,13 *haec ad usque exitum uitae me spondeo non modo grate, uerum cupide quoque facturum (grato uerum cupio* V, Sey.; *grato animo uerum cupido* G, Cl., Rol.); XX 8,17 *scio enim, scio, ne quid sublatus dicam (quam) cum imperio congruens (dicam cum* V, Sey. 2; *dicam quam* Cl., Rol., Sey. 1; *congrues* Vm1, *congruens* Vm2, Sey. 2, *congruit* Cl., Rol., Sey. 1).

Considerate itidem Frézouls erga lectionem V se gessit, cum apud infinitivos genus passivum activo anteposuit XXII 5,2 legens: (Iulianus) *pectoris patefecit arcana et planis absolutisque decretis aperiri templa arisque hostias admoueri (et restitui) deorum statuit cultum (aperiri* V, Sey. 2, *aperire* Cl., Rol., Sey. 1; *admouere* V, *admoueri et reparari* G, Sey. 2, *admouere et restituere* Her., Cl., Rol., Sey. 1). Neque tamen ea, quibus Gelenius textum corruptum supplevit, scil. *et reparari*, inexaminata respuere debemus. Nam inter triginta quinque sententias, in quibus verba *reparare* duodevicies et *restituere* septies decies occurrunt, una tantum paragrapho nunc a nobis tractatae aliquid simile in se cohibet, scil. XXII 8,23 *orgia pristina reparauit et choros*. Itaque Gelenio, qui codicem Hersfeldensem inspiciebat, hac in re potius credere quam diffidere possumus.

Imprimis autem modum, quem lectionis vetustissimae defensor cautissimus Fontaine sibi statuerat, idem certe tum excessit, cum in sententia XXI 1,6 *Acuebat autem incendebatque eius cupiditatem, pacatis iam Galliis, incessere ultro Constantium* pronomine *eius* (Vm2) omisso infinitivum *incessere* (V) gerundio *incessendi* mutans sermonem Ammianeum, anomaliis interdum notabilem, ad normam Latinitatis Ciceronianae emendavit. Quia opinabilis gerundii in infinitivum transformatio scribae cuidam vix attribui potest, omnibus assentior, qui hoc loco soloecismum vel potius graecismum e stilo auctoris ipsius ortum concesserunt fortasse scientes Ambrosium (De virginibus II 2,8) quoque *dormire non prius cupiditas quam necessitas fuit* scripsisse. Quid ergo mirum, si Ammiano, qui se natione Graecus esse numquam dissimulabat, norma purae Latinitatis ilico forte e memoria excessit? Sed id quoque fieri potuit, ut Ammianus minime erraret. In sententia enim subiectum celatur, quam ob rem si nullum nomen substantivum (*spes* pro *eius* Mad.; *animus* post *Constantium* add. Mom., Cl.,

Rol., Sey.1) vaticinando invenire volumus, Seyfarthio potissimum credemus, qui in Teubneriana voces *incessere ultro Constantium* pro subiecto habuisse videntur.

Sed haud semel Fontaine, qui supra verba *acuebat incendebatque* ad Iulianum spectare arbitratur, tamquam legum grammaticarum severus amator se ostendit. Alibi (XX 11,12) enim pro modo coniunctivo praesentis *possint* (V, Cl., Sey.) inepte usurpato coniunctivum imperfecti *possent* restituit, postquam eadem correctio, a priscis editoribus facta (cf. Wag.), oblivione obruta erat.

Ad verisimilitudinem emendationum suarum firmandam Fontaine documenta e libris auctorum optimorum et Ammiani ipsius collecta exhibere solet: XX 4,9 (Iulianus) *id optimum factu existimavit: iter sollemne cunctos, e stationibus egressos in quibus hiemabant, maturare disposuit (uita sollemni V, ut ad sollemne E, uia sollemni G, et sollemniter Cl., Sey.)*, cf. Caes. Bell. civ. I 63,1 *illis maturandum iter existimabant* (vide notam 60, p. 161); XX 10,2 *Attuarios (Atthuarios V, Cl., Sey., Attuarios Wag., cf. Vell. Pat. II 105,1); XXI 3,5 ad praestringendum fallendumque (perstringendum V, Cl., Sey.)*, cf. Cic. De nat. deorum III 29,73 *omnes meos dolos fallacias praestigias* (vide notam 250, p. 208); XXI 9,5 *ex (praesidiis) propriis (ex ... lac. 15 litt. ... propriis V, ex stationibus propriis B, A, G, ex stationibus propinquis Btl., Cl., Sey.)*, cf. Ammian. XVI 3,3 *milites qui a solitis descivere praesidiis* (vide notam 310, p. 223).

Post annum 1978 talis usus in consuetudinem venit ac diutius permanebit, ut una quaeque editio posterior cum Teubneriana a Wolfgango Seyfarth curata comparetur. Ceterum quandocumque editores optimi maximo studio textum Ammianum authenticum probabiliter patefaciendi inter se contendunt contententque, ab eorum laboriosa diligentiae sagacitatisque concertatione nova cognita semper sperari possunt.

Itaque qui editionem Francogallicam cum Seyfarthi Teubneriana comparant, hic illic certe dissentiunt, ultra emendatio probabilior sit, e. g. XX 4,18 *equi(tis) phalerae quaereba(n)tur* Fon. (*aequi falerae quaerebatur V, falera Vm2, Cl.*), *equi phalera quaerebatur* Sey.; XXII 8,45 *Peuce (ex) insula supra dicta* Fre., *Peuce (cum) insula supra dicta* Her., Sey. Huic loco etiam unum adiungi decet. Perinde enim atque Fontaine, qui in tomo IV toponyma ab ipso Ammiano vel a scribis parum doctis deformata ad normas a Claudio Ptolemaeo traditas adaptaverat, Frézouls quoque in XXII 8,17 pro formis mendosis *Arcadius* (V, Cl., Sey.) et *Thybris* (V, Cl., Sey.) *Archabis* et *Tembris* (*Tembrius B, A, G*) scripsit (cf. etiam notas 695 et 697 p. 284).

Voces, quibus Fontaine lacunas ex coniectura implevit, enumerare tantum sufficit: XXI 6,2 *inter priores (principis) fratres*; XXI 8,4 *ne inprouiso sub(ito praesidioru)m inuaderentur excursu*; XXI 9,5 vide supra; XXI 12,18 *(ita celeriter adue)nit*. In sententia autem XXI 12,20 *Residui omnes abierunt innoxii (res du ... lac. 12 litt. ... nes V)*, quam editores Gelenium imitantes quasi authenticam imprimi adhuc iuebant, Fontaine post *Residui* et ante *omnes* lacunam interpunxit.

Nunc autem ad singulos locos animum attendamus, in quibus variae quaestiones non satis perfecte solutae latent. Et quoniam de sententia magis quam de forma agetur, ea saepius respici oportet, quae Joachim Szidat in opere suo *Historischer Kommentar zu Ammianus Marcellinus Buch XX–XXI* (Teil I: Die Erhebung Iulians, Teil II: Die Verhandlungsphase, Teil III: Die Konfrontation, i. e. *Historia–Einzelschriften* Heft 31, 38, 89, Stuttgart 1977, 1981, 1996) intitulato pertractavit.

Difficillimam quaestionem nobis enuntiatum XX 3,8 de luna *circa terrenam mobilitatem locata* praebet, quod Szidat in commentario suo (I, 1977, p. 123) persuasioni de re vera potius quam arti grammaticae confisus explanavit: „Die Wendung kann keineswegs bedeuten, daß die Erde sich bewegt. ... Man muß sie vielmehr so verstehen, daß sich der Mond auf der erdnächsten Bahn von allen Gestirnen befindet“. Fontaine autem *circa terrenam* *(in)mobilitatem locata* (*mobilitatem* V, *nobilitatem* Gro., *immobilitatem* Boe.) edidit interpretationi suae (p. 6) „la lunese trouvant placée à l’entour de notre terre immobile“ notam 36 adiungens (p. 155 sq.): „Szidat, ad loc., refuse justement les traductions qui parlent (bien avant Galilée!) de la mobilité de la terre. ... Pour sa part, J. den Boeft accepte la lecture paléographiquement admissible de Leeman *immobilitatem*, appuyée sur le souvenir (ici possible chez Ammien) de Cic. rep. 6,17: *tellus neque mouetur et infima est*; et 18: *terra ...immobilis manens*.“

Haec argumentatio non dispellit dubitationes meas de emendationis cuiusdam necessitate, quam ob rem ad Szidatum revertor, qui credit Ammianum – si doctrinam Aristarchi illius Samii post Claudium Ptolemaeum diutinae oblivioni datam omittamus – ne Pythagoreae quidem theoriae de terrae rotatione, ab ipso Platone haud contemptae, gnarum fuisse, attamen nullum mendum in textu tradito reprehendit. Interrogandum igitur est, occurreritne in mentem ei *circa terrenam mobilitatem locata* legenti modus dicendi tali similis, qui enallage dicitur, si ea verba tamquam *in mobilitate circa terram locata* intellexit.

In paene scholastica declamatione XX 3, ubi Ammianus defectum solis et lunae necnon varias lunae mutationes figurasque explanavit, postrema paragraphi 11 pars *traditurque, doctrina multiplici congruente, non nisi tempore intermens-trui deficere uisam usquam lunam* nonnullos philologos – Rolfeo Seyfarthioque inclusis – in errorem induxit, nam se ipsos fallentes vocem *intermens-truum* tamquam *plenilunium* male interpretabantur. Recte igitur Fontaine (n. 45, p. 157) commemoravit: „La difficulté peut venir, à première lecture, de ce que le latin désigne par le même mot *deficere* l’obscurisation lunaire régulière de la nouvelle lune et celle, exceptionnelle, de l’éclipse – dont il n’est nullement question ici dans cet «intervalle entre deux mois» (lunaires) qui correspond clairement à la nouvelle lune. La phrase n’a de sens que dans le cadre d’un exposé du cycle mensuel des phases de la lune“.

Ipse Fontaine tamen adverbium *usquam* in *umquam* mutare cogebatur, ut sic sententia intellegeretur (p. 7): „et la tradition assure unanimement, en sa diversité, que jamais on n’a vu la lune disparaître à un autre moment qu’au cours de l’intervalle entre deux mois“. Ego autem nihil emendans iam pridem (Eirene X,

1972, p. 17) ad aliam explanationem decurri. Auctor enim noster, sicut adhuc arbitror, in mente habere potuit lunam tempore intermenstrui per aliquot dies ex vulgi opinione usquam evanescere.

Fidenti animo, quod ad palaeographiam attinet, Fontaine corruptelam XX 4,13 *utinstatiui solita cessarunt* in formam intellegibiliorem transformavit, sed dubito, num lectio eius *hocque angore impliciti, ut in statiui(s) solitum cessarunt* (= p. 11: „Étreints par ce tourment, ils éteignirent les feux, comme il est de coutume dans une garnison“) cum rebus Lutetiae Parisiorum anno 360 gestis vere concordet. Res dubia in nota 65 (p. 162) nequaquam dissimulatur: „La notation sur le calme de la fin du jour n’offre un texte ni sûr ni clair; nous comprenons que tout est dans l’ordre (apparent), à tel point que, dans ce campement provisoire, les soldats, de passage, se comportent comme «dans leurs quartiers» (*ut in statiuis = ut in stationibus*) ou leur «camp fixe» (*castra statiua*)“.

Proceres militum in Orientem adversus Persas transferri iussorum, postquam Caesari Iuliano valedicentes ab eo ad suos maesti reverterant, ante seditionem nocte coeptante coortam aliquid in stativis solitum facere desierunt. Sed lectionem meam *u(i)t(a)* (abl.) *in statiui(s) solita* (abl.) *cessarunt*, quae necessariam disciplinae castrensium dissolutae mentionem restituit (cf. Eirene X, 1972, p. 17 sq., et Listy filologické CXVIII, 1995, p. 10 sq.), editor cautissimus silentio praeteriit. Id certe non dolerem, si quidem convenientior emendatio ulla offerretur.

Paragraphi XX 4,21 partem postremam Fontaine *strepituque inmani excubitores percussi et tribuni et domesticorum comes Excubitor nomine, ueritique uersabilis perfidiam militis, euanuere metu mortis subitae dispalati* edidit, nomen comiti domesticorum aliunde nobis ignoto (cf. PLRE I, p. 321) Excubitor proprium fuisse credens. Sed talem opinionem nota 79 (p. 166) haudquaquam praebet: „La valeur ironique de *nomine* (= de nom) se justifie par un rapprochement avec Paneg. 12,22 *adhuc nomine foederatus*, et Ammien 31,7,4 *ductans cohortes aliquas nomine tenus*; cp. aussi inf. 20,5,4: *specie tenus purpuratus*.“

His verbis Fontaine in nuce paene eadem expressit atque Szidat, qui in commentario suo (I, 1977, p. 163 sq.) multa argumenta collegerat, ut arbitrium suum concluderetur: „So sollte dem Verständnis von *excubitor nomine* als «nur dem Scheine nach Wächter» auch sprachlich nichts im Wege stehen“.

Argumentatio supra prolata tum demum nobis persuadere posset, si similes locos velut XVI 6,1 *comes Verissimus nomine*, XVI 8,3 *Salonitanum quendam nomine Danum*, XX 4,18 *Maurus nomine quidam*, XXVII 9,1 *Romani nomine comitis*, XXIX 5,2 *comiti nomine Romano*, XXXI 10,21 *successor Maurus nomine mittitur comes*, XXXI 12,6 *Victor nomine magister equitum*, XXXI 13,9 *Victor nomine comes* nesciremus, ubi Ammianus ablativum *nomine* ideo usurpavit, ut substantiva et adiectiva – litteris maiusculis olim posteaque minusculis scripta – VERISSIMVS/uerissimus, MAVRVVS/maurus, ROMANVS/romanus, VICTOR/uictor et in numero eorum EXCVBITOR/excubitor quoque – non virorum qualitates, sed personarum nomina propria intellegerentur.

Duas legiones Constantianas, quae apud Sirmium ad Iulianum transierant, ab eo in Gallias missae Aquileiam occupavisse ac militibus Iuliano fidelibus portas clausisse constat, sed paragraphi XXI 11,2 finem *iuuante indigena plebe tumultum horrore, cui Constantii nomen erat tum etiam initium*, sicut eum Seyfarth ediderat (*tumultum horrore* V, *tumultus horrorem* G; *initium* V, *amicum* G, *iunctum* Pig., Rol., *iucundum* Cor., *sanctum* Mom., *intimum* Herm., *inuisum* Val., (*non*) *inuisum* Btl., *entimon* Har.), Fontaine conturbavit legens *iuuante indigena plebe tumultu(u)m horrore, cui Constantii nomen erat tum etiam in(u)ictum*, nam nec Francogallica translatio eius (p. 67: „tandis que la population locale les appuyait par terreur des désordres, considérant encore le nom de Constance comme invincible“) nec enodatio in nota 341 (p. 230) „Le mot *tumultuum*, plutôt qu’aux menaces barbares (Quades et Marcomans avaient assiégé la ville au second siècle, comme le rappelle Ammien en 29,6,1), fait allusion à l’implication des habitants d’Aquilée dans la présente révolte“ dubitationes nostras dispellunt.

Quoniam Aquileienses seditioni militum – vox *tumultus* enim apud Ammianum idem atque *seditio* saepius significat (cf. XVII 10,1; XX 8,9; 11,31; XXV 10,9; XXVI 2,4) – imperium Iuliani dubium timentes favebant, sententiam Szidato (Historischer Kommentar III, 1996, p. 121 sq.) assentiens distinguendam credo: *eam* (scil. Aquileiam) *hostiliter repente clausere, iuuante indigena plebe tumultum, horrore cui Constantii nomen erat tum etiam finitium*. Vocem *initium* a Seyfarthio (Ammianus Marcellinus, Römische Geschichte, II, Berlin 1968, p. 151 et 207, n. 109) „die höchste Autorität“ in Germanicum translatam defendere nolo nec abnuere possum, ut aliam, quae secundum Szidatum (op. cit. III, p. 122) Constantii charisma commemoret, persuabiliter antehabeam. Praenomen *cui* autem vix etiam ad ablativum *indigena plebe* referri mihi videtur, quam ob rem et coniecturam *in(u)ictum* – nisi omnia me fallunt – inutilem nedum ineptam puto.

Constantius Augustus milites allocutus Iuliani animum ingratum superbumque graviter anno 361 accusavit et Aequitatem parentem nutricemque orbis Romani invocans praeceptum veri rectique adiunxit, sed quali poena violatores ab ea Ammiano teste afficiantur, textus XXI 13,13 in codicibus corruptus celat. Si Fontaineo fidem habeamus, Constantius Aequitate fretus *eam tumentes spiritus tamquam fauillas <diffilas>se f(r)acturamque (fauillasse facturamque* V, *fauillas effecturam* G) *deinde ut sceleste factorum ultricem (laetorum* V, G, Cl., *factorum* Btl., Wag., Eyss., Gdt., Rol., Sey.) stilo Ammiano dixerit.

Per exemplar Latinum in hanc formam redactum et Francogallice (p. 78) „Que cette Équité ait dispersé comme cendres au vent les aspirations orgueilleuses, pour les briser ensuite en vengeance des actes criminels“ expressum, numerus augetur emendationum, e quibus interpretes quamlibet eligere possunt (cf. e. g. *se<datu>r*am) *f(r)acturamque* Her., *efflaturam* <*triumphaturam*>que Thö., {*se*} *facturam* <*futu*>r)am)que Dam., {*se*} *fla(tu*ram) *fra*)cturamque Pig., *se<pultu>r*am) *facturamque* vel <*sparsu*>r)am) *facturamque* <*se*> vel *reflaturam* <*uindicaturam*>que Nov., *se<mper aestimaturam*> *facturam-*

que Češ.). Sed ne Fontaine quidem unius emendationis novae satis habuit, nam ipse aliam quoque considerabat, si in apparatu (p. 78) *diffudisse* (vel *fudisse*) *fusuramque* fortasse legendum esse scripsit (cf. etiam p. 244 sq., n. 414), nunc vero a palaeographia nimis digressus.

Vocabulum *adfatus*, participii speciem habens et – ut intellegibile in contextu fiat – varie transformatum vel aliquo modo supplendum (*adfatus* V, *ac statim* G, *ad fastus* Pet., *(deumque)* *adfatus* Mom., ...*adfatus* Cl., Sey.), Frézouls eleganter removisse videtur, cum paragraphum XXII 12,8 edidit: (Iulianus) *adfatum circumhumata corpora statuit exinde transferri* = p. 128: „Julien décida de transférer les corps inhumés en foule autour de la source“.

Haec ingeniosa simplicitas, fateor, confestim admirationem meam excitavit, sed simul scire volui, cur Frézouls in nota 963 (p. 323) locos parallelos respicere neglexisset. Ceterum nullum locum ex omnibus quinque spectandum proponere potuit, nam adverbium *adfatum* in textu Ammiano semel (XIV 6,20) ad adiectivum se alligat, sensum eius validiorem faciens, et quater (XIV 10,11; XX 7,16; XXIV 5,12; 7,6) in narratione de alimentorum copia vel abundantia adhibetur. Ego de re ipsa nihil dubitans, sperare tamen non audeo emendationem supra scriptam ab omnibus probatum iri.

Imprimis autem novam lectionem XXII 15,21 videre cupivi, sed haec spes me fefellit, nam ea absurditas, quam Clark, Rolfe Seyfarthque enuntiatio in membra dissecto *Hippopotami quoque generantur in illis partibus, ultra animalia cuncta ratione carentia sagacissimi, ad speciem equorum bifidos (unguis habentes), caudasque breves* in textu concesserant, in parte, quam J.–D. Berger curavit, non solum recepta, sed per interpretationem Francogallicam etiam comprobata est, ubi (p. 138) de hippopotamis haec primo aspectu incredibilia leguntur: „Ils ont des sabots fendus, comme les chevaux“.

In cassum ergo editores admonere temptavi (Eirene XII, 1974, p. 91 sq.; cf. etiam Listy filologické CXVIII, 1995, p. 12 sq.), ne Ammianus, qui se ipso auctore (XVIII 8,8–11; XIX 8,6; etc.) equitandi peritissimus fuit, unguam equinam ignorans simularetur.

Verba „et déjà Pline l’Ancien, 8,95, et Solin, 32,30–31, qu’Ammien recopie presque mot pour mot“, notae 1025 (p. 335) inserta, culpam stultitiae inexcusabilis scriptoribus pristinis tribuere videntur. Sed neque Plinius (Nat. hist. VIII 95), qui inter alia *ungulis binis quales bubus, dorso equi et iuba et hinnitu* scripsit, neque Solinus (32,30), qui putabat hippopotamum *equino et dorso et iuba et hinnitu, rostro resimo, unguis bifidis, aprugineis dentibus, cauda tortuosa* esse, Ammianum in errorem de unguis equinis inducere potuerunt. Itaque in textu Ammiano aut colon *ultra animalia cuncta ratione carentia sagacissimi ad speciem equorum* distingui oportet aut potius lacuna suo loco expungi.

Fontaine commentarium scribens iam pridem laudem sibi conciliavit maximam et nunc idem munus non solum optime confecit, sed etiam adiutores suos, quorum e navitate notae paene sescentae (scil. n. 468–1065) ortae sunt, ad similem diligentiam stimulavit. Multas enim commentarii virtutes enumerare longum est neque errata, si quae sint, aucupando laureolam in mustaceo quaerere

volō. Inter unius operis socios tales dissensiones cavēri tamen necesse est, ne lector de eadem re alias aliter doceatur. Utri enim opinioni credi oportet, si Sallustii cuiusdam libellum Graecum *De diis et mundo* Fontaine in tomi IV parte 2 (p. 11, n. 2) Flavio Sallustio attribuerat posteaque in tomo III (cf. p. 220, n. 296) nihil correxit ac si Frézouls (ibidem p. 258, n. 492) eiusdem opusculi auctorem Saturninium Secundum Salutium iudicavit?

Commentarius Francogallicus creabatur, postquam J. Szidat duas iam partes tripertiti operis sui supra laudati publicaverat. Sed etiam philologi Nederlandenses – J. den Boeft, D. den Hengst, H.C. Teitler, J.W. Drijvers (is posterior prioribus se adiunxit) – Groningae editi operis *Philological and Historical Commentary on Ammianus Marcellinus* conditores interea ad libros XX (a. 1987), XXI (a. 1991), XXII (a. 1995) explanationes suas in publicum proposuerunt. Hi omnes quidem gaudium metae – ut poetae aiunt – citius contactae illis, quorum labor aestimatur, ademerunt, nec tamen de meritis eorum aliquod detrahentes.

Sigla

sicut in apparatu critico nomina abbreviantur codicum
et editorum necnon emendatorum ab his laudatorum

- A = editio Accursii Augustana, a. 1533 mense Maio Augustae Vindelicorum impressa, quam Mariangelus Accursius curaverat.
- B = editio Bononiensis, a. 1517 Bononiae impressa, quam Petrus Castellus curaverat.
- Boe. = J. den Boeft et alii in fine commentationis laudati.
- Btl. = Richard Bentley, operum Graecorum et Latinorum examinātor atque emendator (vixit a. 1662–1742).
- Češ. = Josef Češka, commentationis huiusce auctor.
- Cl. = Carolus U. Clark, qui adiuvantibus Ludovico Traube et Guilelmo Heraeo editionem a. 1910–1915 Berolini apud Weidmannos impressam publicandam curaverat.
- Cor. = J.J. Cornelissen, emendator (a. 1878, 1886).
- Dam. = P.H. Damsté, emendator (a. 1927–1930).
- E = codex chart. a. 1445, Vat. Lat. 2969.
- Eyss. = Franciscus Eyssenhardt, cuius editio Berolini a. 1871 impressa est.
- Fon. = Jacques Fontaine, editor a nobis laudatus.
- Fre. = Edmond Frézouls, Fontainei laboris adiutor.
- G = editio Gelenii, Basileae a. 1533 mense Iulio impressa, quam Sigismundus Gelenius curaverat.
- Gdt. = V. Gardthausen, cuius editio Teubneriana a. 1874–1875 Lipsiae impressa est.
- Gro. = Jacobus Gronovius, cuius editio a. 1693 Lugduni Batavorum impressa est.
- Hadr. Val. = Hadrianus Valesius (i. e. Adrien de Valois), frater Henrici (vide sub Val.), cuius laborem continuans editionem Parisiis a. 1681 impressam publicandam curaverat.
- Har. = Austin M. Harmon, Clarkii discipulus et adiutor.

- Hau. = M. Haupt, emendator (a. 1842, 1876).
- Her. = Guilelmus (= Wilhelm) Heraeus, Clarkii operae adiutor atque corrector.
- Herm. = J. Hermann, observationum criticarum Ammianearum a. 1865 auctor.
- Kie. = A. Kiessling, emendator (a. 1871, 1874).
- Lan. = P. Langen, emendator (a. 1867, 1870).
- Mad. = J. N. Madvig, cuius adversaria critica ad Ammianum Marcellinum summatis a. 1884 publicata sunt.
- Mom. = Theodor Mommsen, historiae antiquae iurisque Romani investigator peritissimus (vixit annis 1817–1903).
- N = codex chart. Neapolitanus s. XV (i.e. Codex Regius Valesii), Paris. Lat. 6120.
- Nov. = Robert Novák, operis Ammianei a. 1885–1911 assiduus emendator.
- Pet. = M. Petschenig, emendator (a. 1889–1897).
- Pig. = Giovanni Battista Pighi, capitum ex libris Ammiani Marcellini selectorum a. 1947–1948 editor et multorum locorum iam ab a. 1933 emendator.
- Pit. = Petrus Pithoeus (i.e. Pierre Pithou), studiorum antiquitatis redintegratae cultor ac fontium iuris Romani editor (vixit a. 1539–1596).
- PLRE I = A.H.M. Jones – J.R. Martindale – J. Morris, *The Prosopography of the Later Roman Empire*, Vol. I, Cambridge 1971.
- Rol. = John C. Rolfe, cuius editio (*Ammianus Marcellinus with an English Translation in three volumes*) ter prelum reliquit (London – Cambridge, Massachusetts 1935–1939; revised and reprinted 1950–1952, 1956–1958).
- See. = Otto Seeck, historiae Romanae aevi antiqui exeuntis investigator, qui fidem historicam in Ammiani narratione a. 1906 examinavit.
- Sey. = Wolfgang Seyfarth, cuius opera duae editiones exortae sunt. Sey. I = *Ammianus Marcellinus, Römische Geschichte. Lateinisch und deutsch und mit einem Kommentar versehen von W. Seyfarth. I–IV* Berlin 1968–1971. – Sey. 2: *Ammiani Marcellini Rerum gestarum libri qui supersunt*. Edidit W. Seyfarth adiuvantibus Liselotte Jacob–Karau et Ilse Ulmann. I–II Teubner Leipzig 1978.
- Thö. = G. Thörnell, emendator (a. 1927, 1934).
- V = codex membr. s. IX Fuldensis, Vat. Lat. 1873. – Vm1 = eiusdem manus prima; Vm2 = eiusdem manus altera, scil. correctiones a scriba coequali adhibitae; Vm3 = eiusdem manus tertia, scil. correctiones s.XV adhibitae.
- Val. = Henricus Valesius (i.e. Henri de Valois), cuius editio Parisiis a. 1636 impressa est.
- W = codex chart. Venetus Marcianus s.XV Bessarionis, Venet. Bibl. S. Marc. 388 Bess.; Wm2 = eiusdem corrector coequalis.
- Wag. = Johann Augustin Wagner, qui Ammiani Marcellini quae supersunt cum notis integris Frid. Lindenbrogii, Henr. et Hadr. Valesiorum et Jac. Gronovii edidit eisque Thom. Reinesii quasdam et suas adiecit. Editionem absolvit Car. Gottlob Aug. Erfurd. I–III Lipsiae 1808.

